DE INEFFABILI AUGUSTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO,

ORATIO

HABITA OLIM IN SACELLO PONTIFICIO
ANNO VULGARIS ÆRÆ MDCCLXXI.
AD CLEMENTEM XIV. PONT. MAX.

A

RICCIO MARIA RICCI,

PATRICIO ROMANO, REATINO, ET AQUILANO,
EQUITE CONSTANTINIANO S. GEORGII,

INTER

REGIAE SEBETHIDOS ARCADIÆ SOCIOS

REMINIO IDUMÆO.

ACCEDIT ORATIO DE CHRISTI DOMINI REVIVISCENTIS
GLORIA ADVERSUS JACOBINISTAS. HABITA X KAL.
MAJAS ANNO MDCCXCIV. AD PIUM VI PONT. MAX.
IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO,

AB ANGELO MARIA RICCI,

EQUITE HIEROSOLYMITANO, INTER EOSDEM
REGIOS ARCADAS

EURILOCO TARSENSI.

EDITIO SECUNDA.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

NEAPOLI MDCCXCVI.

EX REGIÆ SEBETHIDOS ARCADIÆ
TYPOGRAPHIA.

Tene inconcuſſa fide Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe Trinitatem, & tamen unum Deum: non quod ſit eorum communis quaſi quarta Divinitas, ſed quod ſit ipſa ineffabilis, & inſeparabilis Trinitas: Patremque ſolum generaſſe Filium, Filiumque ſolum a Patre genitum; & Spiritum Sanctum & Patris, & Filii eſſe Spiritum.

S. Auguſtinus *Epiſtol.* 2. *ad Conſentium Operum Tom. II.*

DE INEFFABILI SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO.

ONus omnium graviſſimum, Beatiſſime PATER, illudque plenum dignitatis, ac majeſtatis videor mihi hodierno die ſuſcepiſſe, qui de ſacroſancta, & ſumma unius Dei TRINITATE verba ſim apud te facturus. Multa enim me dicere incipientem commovent, vehementerque perturbant: primum omnium, quod in ſanctiſſimo velut Orbis Terræ Theatro non modo imperitus, ſed etiam improvidus pene adoleſcens ad dicendum acceſſerim. Deinde, quod tam brevi temporis ſpatio, quod mihi ſermonem inſtituenti eſt præſtitutum, illius tam ardui, tam ſummi, tam latiſſime patentis argumenti verſanda ſit moles, cui evolvendo ſeſe non modo verbis, ſed ne cogitatione quidem pares eſſe negarunt, quos dico? magnus TRINITATIS propugnator Athanaſius, Baſilius Patrum omnium graviſſimus, Theodoretus, atque Chryſoſtomus, ſacrorum Oratorum diſertiſſimi; & ut reliquos præteream acutiſſimus diſceptantium omnium Auguſtinus. Accedit illa quoque cogitatio, quod Iſaias Evangelicus Vates

non homines, ſed Angelos ipſos viderit (1) a divinæ TRINITATIS majeſtate conterritos facies ſuas alis contexiſſe, tanti luminis capaces minime, eoque fere hebetatas. Itaque quo me verterem plane neſcirem, niſi Is, qui cum lubet linguas infantium facit diſertiſſimas, daret verba ſua in ore meo, quibus de ſe, de Patre, de amborum Spiritu, pauca licet, more majorum, digna tamen & hac tanta celebritate loquar, & diei hujuſce Feſti ſanctitate, atque Myſterio.

Age vero, non quæ Patres, non quæ Prophetæ, non quæ Apoſtoli, ſed quæ Unigenitus ipſe, qui eſt in ſinu Patris (2) inſinuanda altius in hominum corda ſupremæ TRINITATIS enarravit nobis; nunc attendamus. *Hæc eſt,* inquit, (3) ad Patrem, *vita æterna, ut cognoſcant homines te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Patrem appellat Deum, ſeque proinde ejuſdem eſſe Filium, alterum ab altero profitetur apertiſſime. Ac ne illud cogitemus, Arrianorum more, Parenti utique Deo Filium eſſe quantumvis ſimilem, nuſquam vero conſubſtantialem; ille ipſe cogitationes inaniſſimas, ac prophanas vocum novitates omnes longe multo antevertit, quum dixit: *Ego* (4) *& Pater unum ſumus.* Quo quid eſt uberius, quid clarius, quid apertius ad catholicam ſtatuen-

(1) *Iſa. VI. v. 2.*
(2) *Ioan. I. v. 18.*
(3) Idem XVII. *v. 3.*
(4) *Id. 1. v. 30.*

tuendam veritatem. Sed interpellent, uti conſueverunt, Sabelliani, atque Sociniani: *Unum dicis, & Perſonas in Divinitatem inducis?* Unum dico, Sabelli, Unum Socine; & Perſonas nihilo tamen minus mecum in Divinitate adſtruas neceſſe eſt omnino. Ecquid enim, quum Scripturis Sanctis adhibeas fidem, cenſes tandem illud a nobis intellectum iri voluiſſe Chriſtum, cum ita de ſe teſtatus eſt? *Pater meus uſque modo operatur* (5) *& ego operor: Pater omnia demonſtrat Filio*, (6) *quæ ipſe facit; ſicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat*. Quid enim, quæſo, ad demonſtrationem attinet, ubi demonſtrantis ad alterum relationem de medio tollas? Quid ad voluntatem Dei propriam in Filio, ubi nullus, aut Deo minor exiſtat Filius? Quid ad ſimilitudinem in eo, paternique operis æqualitatem, ſicubi unus tantummodo operetur? Obrueris profecto, ac niſi data opera inſanire velis, aut conticeſcere, aut cum Catholicis, ideſt nobiſcum ſentire debebis.

Jam vero quod ſpectat ad ſanctum Patris, & Verbi Spiritum, utique ſubſtantialem, imo utrique conſubſtantialem, a Patre, Filioque procedentem, vivificantem, Dominum, atque Deum; pleni ſunt Evangeliſtarum, ac præſertim Joannis Libri, ex quibus luculentiſſima Chriſti Domini verba illo ſuper argumento proferre poſſum. Sed ne propoſitæ officiam brevitati, ac-

 cipe

(5) Ioan. I. v. 17.
(6) Id. I. v. 20. 21. &c.

cipe unum, aut alterum ejuſdem Unigeniti Dei apud Joannem diuturna hac luce clarius teſtimonium. *Rogabo*, ait ad mœrentes Apoſtolos, *Patrem*, *&* *alium Paracletum dabit vobis*, *ut maneat vobiſcum in æternum*, *Spiritum Veritatis* (7). Quis Catholicorum quum hæc audiat, atque intelligat, aſſiſtente Deo, non continuo fateatur hic in TRINITATE Spiritum Sanctum Patri, & Filio conſubſtantialem, & coæternum, per quem Dei charitatem (8) in cordibus noſtris diffuſam eſſe docet Apoſtolus? Omnino qui ſanam acceperit, & teneat doctrinam, ſic ſe rem habere contendet uſque ad ſanguinem. At vero quid ad hæc Macedonius, quid Ærius, & Eunomius, quid Græcus neſcio quis, aut alius quiſquam Græcorum a veritate Catholica totiens aberrantium ſimillimus? Non utique ſanctum eſſe Spiritum hujuſmodi Creaturam dicere, non Creatorem; non Deum proinde agnoſcere oportere. Hoc Macedoniani, eorumque Sectatores. Illud autem Græcorum, qui diſſentiunt a nobis: Spiritum non a Patre, & Filio, ſeu quod idem eſt, non a Patre per Filium; ſed a Patre tantum opus eſſe procedentem confiteri. Quibus ſi aliquatenus fides ſit habenda a quoquam, quomodo illa ſtare poſſe autumabit Macedonius, quæ Verbum alte pronunciavit: *Spiritus eſt Deus*? (9) Rurſum quæ ab eodem ipſo Domino dicta ſunt, qua ratione

(7) Joan. *XIV*. *v*. 15. *&* 16.
(8) Rom. *V*. *v*. 5.
(9) Joan. *IV*. *v*. 30.

ne Photiani recipiunt, neque tamen ſe de ſententia debere ſua diſcedere arbitrantur: *Ille*, ſcilicet Paracletus (10), *me vivificabit, quia de meo accipiet: Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Hæc, quæ a me non tam ſunt explicata dicendo, quam vix delibata commemorando, non me latet quam copioſe, quam graviter adverſus Hæreticos pertractarint Majores noſtri ſanctiſſimi Patres. Neque propterea (quæ eſt hominum pervicacia) omnes de ſacroſancta TRINITATE Hæreſes ad hanc uſque ætatem noſtram convelli potuerunt. Quod cum maxime dolendum eſt ſane, tum multo quam priori illa tempeſtate minus eſt mirandum hiſce temporibus. Nam ſi uſpiam alias, hac certe ætate noſtra illud vere, atque auree dictum eſſe ab Auguſtino comperimus: *Non intratur in veritatem, niſi per Charitatem* (11). A qua cum longiſſime abhorreant factioſi homines, jam minimum, inquam, mirandum eſt, ſi poſt Sabellium damnatum, Arrium devictum, Macedonium confractum; Servetus, ac Socinus, cæterique, qui in eorum caſtra conceſſerunt, Ante-Trinitarii quos appellamus, errorum toties debellata monſtra fingere ad libidinem, ac dilapſam prorſus in cineres facem fruſtra excitare perſeverent. Nobis vero, qui idipſum dicimus omnes, inque co-

(10) Joan. *XVI. v.* 15. *&c.*

(11) Auguſtin. *Operum Tom.* 8. *pag.* 326. *Edit. Antuerp.*

eodem ſumus ſenſu, atque ſententia, in qua fuerunt Apoſtoli, & Patres in fide noſtri, illud erit ex commemoratis Domini verbis eodem Doctore Auguſtino, colligendum, quod: *Cum omnino ſit* (12) *inſeparabilis, nunquam TRINITAS ipſa ſciretur, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur. Nam & cum dicimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non eos utique dicimus ſimul, cum ipſi non poſſint eſſe non ſimul.*

DE

(12) *Tract. in Joan. LXXVII. num. 2.*

DE CHRISTI DOMINI REVIVISCENTIS GLORIA ADVERSUS JACOBINISTAS

ORATIO.

FUneſtiſſima ætatum omnium & hujuſce prælertim noſtræ experientia novimus comprobari miſerum illud ac deplorandum effatum: nihil eſſe tam ſanctum, quod humana ſæpenumero pravitas non violaverit, nihil tam eximium & ſalutare, quo plerique mortalium impotenti æſtu abrepti inſanientium cupiditatum in ſui aliorumque perniciem non abutantur. Quid enim eis a Deo Optimo Maximo datum eſt ratione præſtantius ac magnificentius; qua quidem non cæteris ſolum etſi ampliſſimis creatis rebus longe antecellant, ſed ipſiuſmet ſupremi Conditoris quandam præferre imaginem videantur? Atqui tam præſenti tamque ſingulari divinæ munificentiæ dono plerumque uſi ſunt homines ad improbis motibus liberius obſequendum, ad ſcelera perpetranda impunius, ad ſanctiſſima quæque jura in pejorem partem detorquenda & penitus depravanda; potiſſimum

autem ad corrumpendas ac ferme delendas expreſſas Religionis notas omnium mentibus natura inditas, & miro pulcherrimoque univerſi Orbis ſpectaculo quotidie ingeſtas atque inſtauratas. Nonne vero huic imprimis incommodo, quod certe ſummum eſt & quaſi caput cæterorum, occurrit ejuſdem rationis Dator mitiſſimus ac liberaliſſimus, cum exquiſitis ſuppliciis & infanda morte perfunctus in vitam eſt revocatus, nullo unquam tempore defecturam? Tum enim maxime rationem ægram recreavit, abjectam erexit, in tranſverſum actam, & per cæcos errorum anfractus temere aberrantem, niditiſſima veluti oblata face, adduxit ad ſpectatiſſimæ veritatis callem tuto firmiterque inſiſtendum. Utinam fortiſſimus idem mortis ac tenebrarum principis Triumphator hanc ipſam ita in me velit ad dicendum regere & confirmare oppido egregiam mentis vim ac facultatem, ut tam gravi & cordato cuique homini tam jucundo valeam argumento parem orationis copiam ac dignitatem adhibere.

Quod humanæ rationi adhuc integræ & plenam in totum hominem poteſtatem nativo proprioque jure exercenti miſero ac fatali extitit offendiculo ad Dei leges contemnendas, improvida ſcilicet mentis elatio ab inſignis & ferme divinæ ſcientiæ comparandæ ſpe ac ſtudio profecta (1): illam itidem a recta officii & hone-

ne-

(1) Gen. c. 3. v. 4. ſeq. Vid. S. Auguſt. *de Gen. ad Lit. L. II. c. 30. & de Lib. Arbit. L. III. c. 24.*

neſtatis norma ad iniquiſſimum quodque facinus in omne reliquum tempus avocavit; eoque levitatis impulit atque adeo inſaniæ, ut poſthabito intemeratæ Religionis candore ineptiſſima impiæ ſuperſtitionis monſtra conſectari palam non erubeſceret. Mihi quidem poſt immanem aquarum omnem terrarum ambitum populantium illuviem humanum genus diverſis jam & inter ſe disjunctiſſimis plagis diſperſum & propagatum animo reputanti, quædam ſe offert vecors atque efferata mortalium turba hac illac paſſim belluarum inſtar errantium, qui cœco rapiantur naturæ impetu, nullo ſibi propoſito agendi conſilio & diſciplina (2). Hic immundo quadrupedi aut obſcœnæ volucri colendæ exorandæque nuncupari vota & victimas immolari video: illic informi trunco vel lapidi impurum thus adoleri: ſacras modo ædes ſcenicis ſaltationibus & laſcivientibus numeris celebrari: aras modo humano ſanguine redundare (3). Quid improvida furentium fœminarum orgia commemorem, quid incompoſitos Corybanthum motus, quid Saliorum & Lupercorum profanos atque impudentes excurſus (4)? Quid innumeros alios ſacrorum ritus ad futilem ac monſtroſam Divinitatis ſpeciem ingerendam prope factos; ad omnem videlicet divinæ

 na-

(2) Vide Opuſc. *Diſcuſſione accademica, e critica delle due Poteſtà ſpirituale, e temporale, del Conte Giuſeppe Recco. Romæ* 1793. *pag.* 58. ſeq.

(3) *Pſal.* 105. & Sap. *c.* 14. *v.* 23.

(4) V. S. Auguſt. *de Civit. Dei*.

naturæ notionem penitus expungendam? Porro cur nam putemus hanc peſtiferam luem humanam mentem invaſiſſe? Unde hæc tam demens tamque conſilii expers de re graviſſima cogitandi judicandique ratio dimanavit? Ab inflicto certe per luctuoſam illam communium humanæ ſobolis parentum defectionem omnium animis acerbiſſimo vulnere, præſertim vero ab immodica planeque effreni de rebus, quæcunque tandem eæ forent, inquirendi atque pro libito decernendi libidine, qua homo nihil ſibi eſſe impervium exiſtimaret, nihil quod non ratiocinando aſſequi poſſet atque perſpicere. Ex quo procul dubio factum eſt, ut quidquid mentis ſuæ aciem fugeret & intelligentiæ facultatem ſuperaret, cum eadem pugnare atque adeo nuſquam exiſtere perperam autumarit. Qui porro cogitatione ſatis comprehenderet (5) puriſſimum ſpiritum nullo temporum ſpatio, nulla locorum dimenſione circumſcriptum, qui omnia quæ vellet voluntate ipſa perficeret; hanc autem unam agendi normam & rationem haberet propoſitam, quin aut in cognoſcendo a veritate, aut in deliberando a conſilio, aut in exequendo a præſtantia numeris omnibus abſoluta minimum deflecteret, vel deflectere unquam poſſet: qui præterita æque ac futura cum præſentibus ſimul inſpiceret, quique rerum maximarum itemque pulcherrimarum Opifex ſapientiſſimus ſibi idem unus ſufficeret: tum Orbem qua late patet univerſum, ejuſque ſingulas par-

(5) 1. Cor. c. 2. v. 14.

partes tueri ac regere nunquam deſinens, in ſe tamen apprimè ſecurus placidiſſime conquieſceret? His igitur aliiſque innumeris omnigenæ virtutis atque excellentiæ argumentis, quæ in Deum certiſſime convenirent, aſſequendis impar hominis ingenium eidem cuncta detrahere, multa vero a ſenſuum & materiæ penu deprompta perperam affingere, quæ vel anguſtos creatæ naturæ fines nequaquam præterirent, vel humanam indolem atque imbecillitatem ſaperent, vel ab ipſa naturalis prudentiæ & honeſtatis notione, nedum ab infinitæ præſtantiæ apice prorſus abhorrerent (6).

Refugit animus eâ reminiſci vaniſſima juxta atque in omnem impietatem projecta opinionum portenta, quæ hac noſtra ætate invaluerunt apud Nationes etiam celeberrimas omnique artium cultu florentiſſimas, quæque omnium adhuc oculis obverſantur. Quorſum vero hæc tanta tamque ſubita humanarum divinarumque legum & officiorum perturbatio? Quorſum improvida & luctuoſa omnis cum publici tum privati juris inverſio? Quorſum vel ipſamet Dei notio mortalium animis altius infixa & communi populorum conſenſione jam tum a remotiſſimis ſæculis conſignata, aut vocata in dubium, aut omnino deleta? Quod ſcilicet certi homines quodam mentis, quo valerent acumine, ſibi unice placentes, profanæque doctrinæ opibus præter modum omnem tumidi atque lym-

(6) V. Lib. Sap. c. 13. *ſeq.* & Tertull. *de Præſcript. c. 7.*

lymphati nihil non rationi tribuendum, eamque habendam quaſi pro numine cenſuerunt (7). Hinc ſapientiſſima quæque veterum placita atque inſtituta infra pueriles nugas amandare; religionis quantumvis integerrimæ ſolidiſſimiſque nixæ fundamentis ritus probatiſſimos levitatis ac ſuperſtitionis arguere: Dei providentiam tanquam moderandæ rerum ſummæ vel imparem vel ſupervacaneam abjicere: ejus potentiam & majeſtatem imbecillitatis ac metus inane commentum palam jactare: novam prorſus morum diſciplinam, adminiſtrandæque Reipublicæ methodum veluti ex tripode indicere; jus naturæ ac gentium poſt hominum memoriam inauditum invehere, omne videlicet ſocietatis vinculum, & Religionis frænum diſſolvere, ſacra omnia & profana invertere ac permiſcere (8). O maximam deterrimamque temporum iniquitatem ac labem! O miſerrimam humanæ rationis conditionem, quæ dum ſibi plus æquo indulget, & ultra fines licentius graſſatur ei providentiſſime conſtitutos; in meridiana etiam luce paſſim offendit, & umbram pro corpore, pro veritate mendacium, pro rebus ſomnia perſequitur ineptiſſime (9).

Verum immortales bonorum omnium Largitori gratiæ habeantur, qui acerbiſſimæ iſtiuſmodi calamitati, ſi quando alias, opem tulit præ-

(7) Sap. c. 17. v. 1.

(8) Vid. idem Opuſc. *Dicuſſ. accademica, e critica delle due Poteſtà ſpirit. e temp. pag.* 396. *ſeq.*

(9) Sap. c. 13. v. 1.

præſentiſſimam, cum de ſubacta morte, ac inferorum tyranno triumphum egit pulcherrimum oppido atque admirandum. Per eum ſiquidem homines apertiſſimis una firmiſſimiſque argumentis convicit ſuos rationi eſſe limites præfinitos, intra quos niſi ſeſe apprime continuerit, in præceps agi ac fœdiſſime ipſam dilabi neceſſe eſt: res creatas a divinis eo uſque diſtare, ut nihil utriſque commune vel ſimile aut exiſtere aut confingi ullo modo poſſit: nullum propterea mortalibus patere aditum ad haſce inveſtigandas aut quomodo cognoſcendas: ubi de his ſermo ſit (quod ſummi etiam acutiſſimique Philoſophorum (10) optime norunt & inculcarunt) nihil illis reliquum eſſe, niſi ut ea firmiter teneant de certa eorum ratione intimaque natura vel minimum inquirentes (11).

Et quidem quis tandem perſuaſum haberet, Deum cum homine arctiſſime ſociatum corpus infirmum & corruptioni natura ipſa obnoxium induere, atque adeo omnes vitæ ærumnas ac viciſſitudines mortemque demum obire poſſe turpiſſimam atque atrociſſimam? Quid ab omni creatæ mentis captu magis alienum, quam ipſum juſtitiæ Fontem, ſupremumque Cœli ac terrarum Moderatorem atque Arbitrum, improbum vulgo traduci: non unius flagitii apud profanos judices inſimulari; capitali ſententia damnari, extremo ſupplicio cum iniquiſſimis graſſatoribus im-

(10) Vid. Leibnit. *Ragionamento ſulla conformità della Fede coll' umana ragione*.

(11) 2. *Cor. c.* 10. *v.* 5.

impune affici? (12) Quid tum, ſi hæc eadem & non pauca hujus generis alia cum iis conferantur, quæ geſta ſunt poſtquam Chriſtus a ſomno mortis eſt feliciſſime revocatus? Cum is quidem poſſet & videri & tangi & contrectari, morbo aut dolore laborare, vi & injuria violari, hebeſcere aut corrumpi nequaquam poſſet; cum membra ejus partibus ut antea ex materia concretis coaleſcerent, neque tamen certo accomodari cogerentur loco, neque ullo uſquam obſtaculo continerentur. Prodeat nunc humana ratio, & hæc tam invicem diſſona tamque diſcreta ſubtilius argutando componat. Quod ſi noverit in eo fruſtra ſe niti, pudeat ipſam aliquando apertiſſimæ veritati pervicaciter refragari, ejuſque penitus contemplandæ percipiendæque ſibi deeſſe facultatem ultro fateri non vereatur. Chriſti potius diſcipulos ſequi duces auctoreſque glorietur, qui cum primum Magiſtrum ſuum in novam rediiſſe vitam a piis mulieribus acceperunt; omnem repente, ſi quam conceperant animo ſuper divinis ejus oraculis, dubitationem abjecere. Cum Thoma ſaltem ambigere mature deſinat Deum ipſum ac Dominum vix dum oculis oblatum exclamantem; & arcana per eum traditæ Religionis dogmata tot jam tamque luculentis teſtimoniis clarius comprobata, quam ſi forent ad inſpectandum propoſita, rata habere & coram prædicare aggrediatur. Huc profecto inprimis ſpectavit divini Reparatoris gloria inaudito prorſus miro-

que

(12) 1. Cor. c. 1. v. 23.

que modo reviviſcentis. Hoc præ cæteris efficaciſſimo uſi ſunt argumento Apoſtoli ad denſas ubique locorum improbi & obfirmati erroris tenebras diſſipandas: hoc freti ſuperbientem philoſophiam lateque animis dominantem victas dare manus coegerunt (13).

Quid, ſi redivivus æterni Patris Unigenitus validiſſima quæque mortalibus ſubſidia comparaverit ad catholicam veritatem ultro amplexandam ac firmiſſime retinendam? Illud jam unum meminiſſe ſufficiat inſigni ejus admirandoque triumpho acceptum referri oportere cæleſtis ignis donum eximium & ſaluberrimum, per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris (14), charitas inquam illa cujus eſt, S. Paulo confirmante, nullo ambitionis unquam motu efferri, nullo faſtu aut arrogantia intumeſcere (15), manſuetudinem ac docilitatem profiteri, de ſe ſuiſque demiſſe rebus ſentire: quæ Deo loquente didicerit, eis proptam firmamque fidem habere (16), atque ita ædificare & committere quidquid profana ſcientia labefactatum fuerit atque disjectum (17). Hac plane flamma nitidiſſima coruſcante, id rite intelligimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit (18): ſapientiam nempe Dei cal-

(13) V. Act. Apoſt.
(14) Rom. *c.* 5. *v.* 5.
(15) 1. Cor. *c.* 13. *v.* 4. & 5.
(16) *Ibid.* & *v.* 7.
(17) 1. Cor. 8. *v.* 1.
(18) 1. Cor. *v.* 9.

callemus in myſterio quæ eſt abſcondita (19), eam vero quæ ſtultitia eſt apud Deum (20) exuimus atque deſpicimus: fidem proinde illam ſequimur ducem, quæ non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei ſita eſt (21), non in fallaci pondere ſententiarum & in vacua magniloquæ orationis copia, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis (22).

Utinam inter innumeras & quotidianas, quibus mortalis vita ſcatet, ſalebras & offendicula hanc unam conſtantiſſime perſequantur quicumque chriſtianæ militiæ nomen dederint. Utinam quotquot ab eadem per inſolentem diſputandi cogitandique licentiam fœde ac miſerabiliter defecerunt, in hanc oculos atque animum maturent intendere; ut ſuis contenta finibus humana ratio in alienos minime audeat invadere ad perniciem & dedecus ſempiternum; puriſſimamque intaminatæ veritatis facem, quam redivivus Dei Filius extulit jacentibus in funeſta mortis caligine, fidiſſimam ſemper rerum ſuarum moderatricem & normam habere contendat.

DE

(19) *Ibid.* v. 7.
(20) *Ibid.* c. 3. v. 19.
(21) *Ibid.* c. 2. v. 5.
(22) *Ibid.* c. 2. v. 4.

DE
AUGUSTISSIMA TRIADE
REGIAE SEBETHIDOS ARCADIAE
AUSPICE, ET PATRONA,
ANGELI MARIAE RICCII,
PATRICII ROMANI, REATINI, ET AQUILANI, EQUITIS HIEROSOLYMITANI S. JOHANNIS, REGIOS INTER ARCADAS
EURILOCI TARSENSIS.
EXAMETRUM.

NEſcio quo dio Vates impellitur aeſtu,
Nec mortale ſonans animos ſuper æthera tendit.
Hinc magnum acceſſit limphatis nomen Achivis,
Famaque Pindaricis nunquam interitura Camœnis;
Hinc Baccum aeria ſemotum e rupe docentem
Arguta numeros tacitas teſtudine Nimphas,
Capripedumque aures Satirorum vidit acutas
Flaccus, & inſiliens mentes afflavit agreſtes
Pan Deus & linguas animoſque ad carmina finxit.
Aſt levis antiqua ſub religione parentum
Numinis obducta heu tenebris affulſit imago;
Ac velut averſo tellus dum ſidere pallet,
Lunaque fraternos objecta intercipit ignes,
Cernimus obſcura Phoebum ſe mole moventem
Et dubiam extremum vix lucem fundere in orbem:
Haud ſecus offuſa Numen caligine Patres
Proſpexere olim, nec qualis quantaque in illo
Vis foret ac ſpecies rerumque immenſa poteſtas
Per cæcos nacti anfractus nubeſque malignas.

Quam-

Quam melius nobis factum queis provida ab ipſo
Fluxerit æterno veri ſapientia fonte?
Plenius at nulli viſa eſt ſe promere *Vatum*,
Quam qui SEBETHIAE VALLES atque ARVA frequentant.
Non ſata hic malenota Deum, ſimulacraque miris
Vana modis mentes capiunt, aut falſus Apollo
Imbuit arcano concuſſum numine pectus.
Audin ut intonuit ſubito nemus omne tumultu
Adventante DEO, procul eſſe improvida rerum
Somnia ſi qua manent, omnes procul eſte profani.
Interea FUMELUS ſeptem diſcrimina vocum
Nunc facilis digito nunc pectine tentet eburno,
Major erit propiore DEO, majuſque per auras
Conſcia divinum referetur carmen ad aſtra.
Forſitan & noſtri comitum ſe grandior UMBRA
SYNCERI adjciens alterno pectine verſus
Inſtituet, quae nunc per amica ſilentia Lunae
Fertur & INFANTIS longe cunabula DIVI
Sepe docet Latio cultis reſonare Camoenis,
Vel Mergellinam vel floriferum Poſilippum.
Fallor! an emicuit triplicem LUX AUREA ducens
Clara facem, obſtantes & circum diſpulit umbras.
En DEUS ille DEUS rerumque in LUMINE LUMEN
TERNUS ut ex ipſo manat de flumine gurges,
Aut idem TERNA jactat ſe LAMPADE Sidus:
En quo cedriferæ ſonuerunt antra Sionis
Et ſacræ Libani valles & palmifer Hebron
Impulit æthereus veterum cum pectora Vatum
Spiritus arcana res & caligine merſas
Admonuit fari, ſeroſque docere Nepotes.
Sic nobis erit ille DEUS dum nuntia lucis
Et ſeptemgemini redeat Pater ipſe coloris.
Dum nox occiduo ſuccedat lurida Eoo
Sidera dum niteant, dum regia Parthenope ſtet.
Sed quid plura moror? Jam longo limite ſulcus
Dat lucem & rutilo circum loca lumine veſtit.
At ſummo interea FERNANDI e vertice viſus
Fundere lumen apex, FRANCISCI & devius inde

Af-

Affulgere comis & circum tempora paſci.
O lux Parthenope fidum & columen FERNANDE!
FRANCISCE o gentis ſpes præſentiſſima noſtrae
CONNUBIO decorate NOVO decus ipſe PARENTUM!
Vos facili DEUS auctet ope quorum omine tanto
Huic credenda uni revocata eſt inclita ab ævo
Gloria SEBETHIDUM regali enata ſub UMBRA,
Et jam flammifero recubans in limine cæli
Dat nutum PRIMI plauditque ARAGONIDIS umbra.
Noſque caput FESTA velati FRONDE per omnem
Errantes læti lucum cantuſque cientes
LILIA BORBONIDUM decerpta e ſtipite nunquam
Interitura DEO dabimus, meritaque viciſſim
FERNANDI memores cingemus tempora LAURO.

DIO TRINO, ED UNO,

INNO SAFFICO

DELL' ABATE

ANTON MARIA DE LUCA,

FRA I SINCERI DELL' ARCADIA REALE

AMARANTO LUCANIDE.

QUì, del Tirreno dove l'onda amica
Dolce lambiſce alla Sirena il grembo,
E del Veſevo torreggiando all'aura
Fumeggia il nembo;
Qual nuovo aſcolto di canori Cigni
Spanderſi intorno rapido concento?
Chi me sull'ali del deſio rapisce
Lieve qual vento?
Gran Nume eterno, che di te fecondo,
E in tre diſtinto, non sei più che un solo,
Te canta Arcadia: ah! tu la reggi, e seco
Reggi il mio volo.
Te non vedrò qual nel Roveto ardente
Mosè ti vide sull'Orebbe un giorno,
O qual fra nembi ei folgorar ti udio
Al Sina intorno.
I vanni io spingo fin de' Fati eterni
Oltre la nebbia, dove all' uom ti celi;
Dove tu regni pria di Orebbe, e'l Sina,
E pria de' Cieli.
M'inganno? o il varco inacceſſibil s'apre
Del tuo soggiorno maeſtoso, e altero?
Qual Luce è queſta, che v'ondegggia, e'l guardo
Mi opprime intero?

EN-

Ente ſovrano, Cagion prima, e ſola
Di ciò ch'eſiſte, e ch'eſiſtente il bei:
Centro ſoave, a cui tendono audaci
I penſier miei!
Chi può vederti, se invisibil sfuggi?
Chi misurarti, se ti estendi immenso?
L'occhio, o gran Dio, la mia ragion si perde
Più che a Te penso.
Saggio, poſſente tutto sai, tutt'opri:
L'ora, che scorre, tua Sapienza adora:
Tu fabbricaſti di tua mano il Sole,
Gli Aſtri, l'Aurora.
Per te la Luna taciturna splende:
Tu immobil muovi agli Aquiloni il fiato:
A te soggiaccion le procelle, i tuoni,
Il tempo, il fato.
Tutto tu reggi; e se talor ti adiri,
La notte piomba dal tuo fosco ciglio:
E di un tuo dolce placido sorriso
Il giorno è figlio.
Gran Dio! Tu sei: ben mia ragion lo intende,
La mia ragion, ch'è di tua luce un raggio;
Ma chi sei Tu? queſt'è l'arcano oscuro
Anche al più saggio.
Invan Davidde, per volarti in seno,
Della colomba desiò le piume:
Egli non vide di tua pura Eſſenza,
Che un fosco lume.
Ma non potria di noſtra Fede un lampo
Fendere il velo, che a'miei rai t'asconde,
E penetrar de'tuoi Miſteri ignoti
L'ombre profonde?
Si che'l potrà. Già si dirada il nembo
Dell'aurea Luce, che t'inonda il viso;
E te in tre Raggi, unico Raggio, io scerno,
Raggio indiviso.
Uno tu sei per propria eſſenza, come
Unico, e solo di tre faci è il lume;

O co-

O come è ſola triplicata l'onda
In un ſol fiume,
E al par che l'onda, e queſto lume ardente
Forman tre Rivi, e tre diſtinti Rai;
Così, mio Dio, nell'Uno ognor Tu Trino
Foſti, e sarai.
Gran coſe io volgo. Tu in tua Mente eterna,
Pago di Te nel contemplar Te ſteſſo,
Generi il Verbo, Dio, qual Tu pur ſei,
Eterno anch'eſſo.
E l'ami eterno: e dal tuo puro affetto,
Che da Te parte, e in Lui ſi alterna, e riede,
Foco ne sorge, non men Dio che entrambi,
Ond'ei procede.
Foco, almo Foco, che di entrambi è Vita;
Che uniſce entrambi in un ſol mutuo ardore;
E ch'Ei medeſmo è Donatore, e Dono,
Amante, Amore.
Così, gran Dio, benchè ſii Trino, ed Uno,
Coll'Uno mai Tu non confondi il Trino;
Ma fai di Te, del Verbo, e'l Foco un solo
Eſſer divino.
Eſſer, che agendo in tre Persone uguali,
O ch'altrui vibri, o in ſe l'ardor rifletta,
Unico è sempre, ed Egli è Arciero, è Scopo,
Egli è Saetta.
Mistero auguſto! or qual potrà mai plettro
Di Te sonar, che non ſia forſe audace?
Canti chi vuol: mia rozza Muſa umile
Ti adora, e tace.
Ai vanni dunque già rallento il corso:
Arcadi amici, me accogliete, io scendo;
E ai voſtri Lauri l'oziosa cetra
Devoto appendo.
Chi sà, che al rieder di sì lieto giorno,
Scoſſa dall'eco de' bei voſtri accenti,
Ella non osi ricalcar più altera
L'orme de' venti?

VA1 1522490